



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Gulielmus Farellus primus apud Genevates rebellionis auctor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

educati, non semel audiverunt. Ibi Calvinus Rufus scripta sua comunicavit, præsertim Institutiones Christianæ religionis, Enculismi conceptas atque inchoatas; simulque Ecclesiæ in pristinam puritatem restituendæ propositum ei aperuit, inquit, nihil omnino sani in Catholica superesse Ecclesia, sed vetus illud ædificium planissime esse deiciendum, ac novum instruendum. Rufus vehementer admiratus, ut ipse postea sæpe dixit, tantam tamque fenilem malitiam in animum juvenilem cadere posse, hominem ad rationem reducere conabatur, inquit, Necessarium quidem esse ut domus Dei purgetur, verum eam non destruendam, sed fulcendam esse potius: quod nisi fiat, tamen ipsum quæ quoscunque alios qui hæc in re aliquid tentarint, ejusdem ruinis oppressum ac sepultum iri. Vidi ego schedas Rufi manu scriptas, quibus suam de Cœna sententiam exponit, longè à Calvinii opinione discrepantem: quas quidem schedas Medicus nostræ Aquitanix non incelebris, Clericæ civis patria, Rufi sumptibus puer in scholis educatus Francisco Cædali Episcopo quondam Atrensi communicavit. Hac inter dominum & famulum contentione effectum est, ut Calvinus Rufum Temporifatoris, id est, hominis inconstantis, & consilia sua temporibus accommodantis nomine traduxerit, ac librum etiam *Des Temporifatus*, Gallica lingua conscripserit, in quo dominum præcipue venenato dente impetit. Faber quamvis in Calvinii sententiam magis quam Rufus inclinaret, hominem tamen quantum poterat retinebat, metuens ne præferendum hoc ingenium omnia misceret atque everteret, eoque discedenti consulebat, ut Melanchthonis tamen opinionem quam exemplum in omnibus sequeretur. His instructus consiliis Calvinus Lutetiam profectus est, sed parum tutum ibi se videns, & à rogo sibi metuens, jam tum patriæ excidium meditans, Gallia excessit, quæ ingrata scilicet, uti conqueri postea solebat, tanto homini domicilium denegare sostinebat. Argentoratum ergo profectus totum biennium Bucero operam dedit, hunc unum aptissimum perturbandi Ecclesiam instrumentum sibi fore, recte judicanti. Scripserat tum inter alia Bucerus librum *De carne Christi*: cujus similem nec à Lutero nec à Zuinglio scriptum ajunt. Hunc cupide legit Calvinus, simulque Bucero Institutiones suas comunicavit, quas ibi ac Basileæ tandem ad umbilicum ductas, Francisco I. Galliarum Regi dedicare non dubitavit.

Quemadmodum vero Lutherus laudi ac gloriæ

sibi ducebat, quod Evangelium ab ipso prolatum multarum turbarum ac seditionum causa esse diceretur, adeoque lætitia exultabat si populos ad mutuam laniationem videret inter se commisos; sic Calvinus ut & ipse quo Spiritu regeretur, testatum faceret, pro symbolo primæ Institutionum editioni præscripserat gladium undique flammis circumdatum, cum his verbis: *Non veni pacem mittere, sed gladium*. In quo nescias utrum horum uterque magis in vaticiniis suis verus, quam in suis ipsorum opinionibus vanus fuerit. Dum Argentorati desideret Calvinus id primum operam dabat, ut eos qui pœnæ metu è Galliis profugerant, consilio & auxilio juvaret deinde ubi in honore aliquo & hominum existimatione se esse vidit, omnibus quæ in tota Germania gererentur negociis immiscere se studebat. Vbi vero accepit, Ferrariæ Ducissam, è regio Gallorum sanguine ortam, veræ religionis (ita enim loquebantur) aliquem habere gustum, ad eam se contulit, omnibusque modis suasit, ut Romanæ Ecclesiæ valediceret, non tamen à Lutero præmonstratam quidem, sed nondum perpurgatam semitam, sed quam ipse à Deo singulariter ad id vocatus, totam jam complanaturus esset, ingrederetur. Hac de re etiã in secretiori Ducissæ cubiculo sermones aliquot habuit, Pontis toparcha inter alios præsentante: nec exiguam pecuniæ summam corrasit, plerisque ad præfæc illius scilicet Ecclesiæ exemplum honorum suorum partem ad novi hujus Apostoli pedes deponentibus, quæ ille deinde inter exules ac proscriptos Gallos dividebat: infirmulatus tamen postea, quod in distribuendis quatuor librarum millibus, quas Margarita Navarra regina Genevensi Ecclesiæ elemosynæ nomine miserat, mala fide versatus esset.

Vagationis periculus Calvinus Genevam se contulit, ubi jam antea dum cum Tilio oberrat, in quorundam notitiam se insinuarat. Ea civitas tum Sabaudix Duci rebellare incipiebat, Gulielmo Farello seditionis conatus accendente ac fovente. Hic ille est cujus supra libro III. mentionem feci, è Meldorum civitate profugus, Iudæi filius, cui Ferreanum nativum nomen: homo in disputationibus atque omni sermone quovis torrente vehementior, ut qui è cathedra in illarum Periculis alicujus, fulminaret. Hic præcipuus auctor fuit mutationis quæ tum & postea Genevæ facta est, quod Basilea ejectus se contulerat. Calendarium Historicum à Lohanne Gregorio & Iacobo Stoer Anno M. D. LXXIX. impressum testatur, Anno M. D. XXXV. die XV. Augusti,

gusti, celeberrimam civitatem Genevensem, juxta veritatis Evangelicæ præscriptum, reformari cœpisse: q̄ tamen in secunda editione omissum est, ne Calvinus qui sequenti anno demū eō venerat, hoc honore defraudaretur. Sub primū adventū Calvinus omnibus se dabat, adeo ut cauponas etiam præfertim ubi frequentes convenisse videbat, ingrederetur, ac pueros etiam, ad se colligeret, eosq; cantilenam aliquam vel rhytmos, in Ecclesiæ & Ecclesiasticorum contemptū factos doceret. Personam vero suam tam scitè egit, ut in Dominicæ S. Trinitatis vigilia quosdam sectæ suæ homines in templum S. Petri immiserit, à quibus mox statuae & imagines confractæ fuerunt. Hic tamen tumultus tum sedatus est; sed quia sacrilegi illi primarias totius familias cognatione attingebant, rei facile judicio se subduxerunt, Farelli factione prævalente. Tandem ergo hac pervagante licentia, & non Farelli tantum sectatoribus, sed & Bernatibus aliisq; vicinis fomitem suggerentibus, & quod Anno M.D. XXVIII. cœptum fuerat urgentibus, tota civitas rebellavit. Factum est hoc Anno M.D. XXXV. uti ex sequenti patet inscriptione, quæ æneæ tabulæ ad Curiam Genevensem affixæ, insculpta visitur.

Quū Anno Domini M.D. XXXV. prostrata Romanæ Antichristi tyrannide, abrogatisq; ejus superstitionibus, sacrosancta Christi religio hic in suā puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis flagitiisque hostibus urbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit: senatus populusque Genevensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ causâ fieri atq; hoc loco erigi curavit quo suam erga Deum gratitudinem testatam faceret.

Vix ortis his turbis, Petrus de Baume Genevensis Episcopus, unā cum Clero urbe excessit, qui quū initio hominibus istis rerum novarum studiosis aditum non ut debuit, obstruxisset, eorundem conatibus oppressus errorem, licet sero, agnovit, tum scilicet quum malo remedium afferre non posset. Ut enim prævisa jacula minus feriunt, sic incauti facile dejiciuntur ac superantur. O quā multa mala ejusmodi negligentia ac seignities invexit! Ignavi homines, quas miseras in vestra ac nostra capita non concivistis? Quod si publicæ salutis curam plane ex animo ejecistis, annon privatæ respectus excitare vos debuit? Verissime enim à Solone dictum est, nullam esse feram, nullum repagulum vel obicem, quo publicum malum à privatarum ædium ingressu cohiberi possit. Sed ad Farellum

re deo, qui opera præcipue Perrini cujusdam utebatur, hominis factiosi, sed funestum exitum fortiti. Ut enim Augustus ad aram Iulii Cæsaris memoriæ consecratam, omnes conspirationis participes quos nancisci poterat, interfici jussit: sic Perrinus iste, annitente Calvino, in ipso saxo quod olim altaris usui inservierat, Calvini vero jussu ad locum reorum supplicii destinatum, deportatum fuerat, capite fuit truncatus. Ex aliis audivi, & in schedis quibusdam ipse legi, Perrinum ipsum lapidem hunc sacrum, in quo ante corpus Iesu Christi consecrari atque offerri consueverat, in locum illum infamem transportari curasse, ut maleficorū sanguine posthac tingeretur; nequaquam tum ratus, se primam fore victimam ad altare hoc immolandam. Perrino à Calvino crimini datum, quod ad instar Sicularum vesperarum, Gallos omnes exules cum suæ factionis hominibus trucidare constituisset. Hoc ergo modo Genevensis civitas perdita fuit, in qua jam lōgo tempore hæresis sub Calvini vexillo triumphat: quæ olim etiam Felici V. Antipapæ, Cardinali Genevensi, pro Ecclesiæ capite se gerenti, perfugium præbuit. Eodem tempore Tiguri, quæ civitas à Geneva non longissime abest, infans natus fuit triceps, cum tribus manibus, & tribus pedibus: quod monstrum procul dubio istius ipsius de quo jam multa diximus, monstrum præfagium fuit ac figura.

III. Farellus suis diffusis viribus, ad perficiendam incœpta Calvinum Ferraria revertentem, in auxiliū vocavit. Is invitū se simulans, quanto magis rogabatur ut Ecclesiæ Domini instaurandæ manum admoveret, tanto magis tergiversabatur, alio se vocatum causatus. Quemadmodum vero rei magnopere expetitæ simulata repulsa animū multo majori accendit desiderio; sic Genevenses novam Ecclesiam ac rempublicam jam dudum moliti, quanto magis Calvinus detrectabat, tanto vehementius retinere eum studebant: ut ipse dicat se invitum manere ibi coactum. Quare munus S. Scripturam interpretandi, & conciones sive exhortationes Gallica lingua faciendi sibi sumsit, à Gallicis præcipue conductus, qui partim è Lugdunensi aliisque provinciis profugerant, ut ignes quos sibi accensos sciebant, vitarent; partim ut creditorum defraudationes S. Spiritus pallio velarent. Ipse Calvinus fatetur, se Gulielmi Farelli tam consilio & exhortatione quam terribili adjuratione, immo ab ipso Deo quasi extensa manu, Genevæ fuisse revertentem. Quum enim precibus nibil proficere